

466

B

80

W 466
B 80

JOANNIS GREVII
ORATIONES

D U A E

D E

RATIONE PRO-
NUNTIANDI,

Habitae Groningae Tempore Aesti-
vo & Brumali A. MDCCXCVI., post publicas
Praeceptorum Exercitationes in stas & so-
lennibus Permutationibus Classium, &
Praemiorum Scholasticorum Distribu-
tionibus, quae vulgo
P R O M O T I O N E S
appellantur.



G R O N I N G A E,

Typis JOHANNIS LENS, Typographi & Bibliopolae 1697.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE'SHAGE.

JOHANNIS GRAEVI
ORATIONES

DUAE

RATIONE PRO
NUNTIANDI

Magistro Godefrido Tappero
in athenis athenis athenis
prosecutione athenis athenis
Iamhus Verminatorum Clodius
Prætorum athenis athenis

PROMOTIONE



ILLUSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMISQUE

VIRIS,
J O A N N I E E K,

CONSULI AMPLISSIMO, TOPARCHAE IN ENUM,
ZEE-RYP, ZAND, LEERMES, LOPPERSUM,
ET WIRDUM, SOCIETATIS INDIAE
OCCIDENTALIS DIGNISSIMO
ASSESSORI, &c.

N E C N O N

WICHERO WICHERS,

MAJORI, SENATORI GRAVISSIMO, VIGILAN-
TISSIMO TRIUM DELFZILENSIUM EMIS-
SARIORUM PRAEFECTO, &c.

*SAPIENTISSIMIS GYMNASII GRONINGANI
H. T. CURATORIBUS,*

S. P. D.

JOANNES GREVIUS.

UT non decreveram,
Viri Excellentissimi, utram-
que orationem de Ratione Pro-
nun-

A 2

D E D I C A T I O.

nuntiandi in tam brevi intervallo
habere, cum propter rerum, quae
pertractandae fuerunt, varietatem at-
que amplitudinem, tum propter
negotia infinita, quibus quotidie
ita distineor, ut vacui temporis fe-
re nihil mihi relinquatur; sic multo
minus in animum unquam induxi eas
in lucem protrahere. Nam nec ea
mente a me conscriptae, aut eo rerum
ornatu perpolitae sunt, nec ea sen-
tentiarum & verborum copia, nitor,
elegantia illis est aspersa, ut eas docto-
rum ac prudentium hominum suffra-
gium subire posse putem, dignasque
censeam, quae sub omnium aspectu
subjiciantur: sed cum styli ac elo-
quentiae meditationem magnam mei
muneris partem sibi asserere semper
fuissem ratus, nihilque utilius adole-
scentibus esse, quam imbui eloquendi
prae-

D E D I C A T I O.

praeceptis in aetatis tyrocinio, quo mores & membra eorum instar flexibilis cerae inflecti atque commutari possunt; cumque jam semel iterumque Vobis praesentibus ac videntibus in magna hominum frequentia verba fecissem, neque Vobis, neque nonnullis aliis mea gestuum agendorum ratio, qualis ea cunque est, prorsus displicuisset; ferebat animus & Vobis & omnibus meum de Pronuntiatione iudicium duabus oratiunculis, licet incultis, nec satis probabilibus, brevissime & absque minimo fastidio Vestro exponere; ut id aut sequi quis posset, si probaret, aut suo staret, si aliud quoddam esset suum. Difficillimum enim est in tam variis & inter se dissentientibus de Oratore optimo opinionibus iudicare

omnibus

A. 3

quae

D E D I C A T I O .

quae sit optima species & norma dicendi: utque innotesceret ac palam fieret, quibus disciplinis ac fundamentis mea niteretur Actio, quaque via discentes ad oratoriae artis cognitionem perducerem: ipsas vero orationes, quae suae infantiae ac jejunitatis conscientia lucem vitabant, premere ac in sempiternas demergere tenebras constituebam. Hinc subito effudi quae potui, non ut volui, sed ut me, cui identidem vix semihora assignata fuit ad perorandum, temporis angustiae coegerunt; spesque magna me obtentavit fore, ut macies earum ac tenuitas inclusa atque abdita lateret in occulto, si audirentur tantum, dum, si legerentur etiam, verebar, ne eadem cunctis conspicua esset, & quasi in aperto ac propatulo loco posita. alio enim modo
audiuntur,

D E D I C A T I O .

audiuntur, alio leguntur orationes.
Accedit, quod ipsa Actio, si vel me-
diocris fuerit, nec plane vitiosa,
plurimum iis addit vel majestatis, vel
venustatis, quae postea denuo evane-
scit, saltem illorum, qui non inter-
fuerunt, nec coram viderunt, men-
tibus nequaquam obversatur. Ve-
runtamen quum Vos eas, quas celebri
concione avidis accepistis auribus,
etiam animis et oculis lustrare voluistis
mihique imperastis, ut illas quam pri-
mum typis mandarem, mihi fas non
fuit, Vestra detrectare imperata,
quorum nutus intueri oportet, ac
satius esse duxi, dummodo auctoritati
Vestrae morem gesserim, desiderari
ab aliis orationis munditiam, & in
me harum rerum intelligentiam no-
tionemque, quam a Vobis, si id
abnuissem, meam in Vos observan-
tiam,

D E D I C A T I O .

tiam, venerationem, & obsequium.
ea enim ut Vobis exploratissima sint,
nulla mihi cura prior est, nulla anti-
quior. Quum autem permagni sua
interesse existimarunt meae Oratio-
nes, etiam nunc virginali verecundia
timidae, obnoxiaeque, ac trepidae,
sub Vestra tutela in publicum prodire,
ad Vos decurrunt, Vobisque manus
tendunt supplices, ut eas pro comitate
Vestra incredibili, ac propensissima
in praeclaras artes voluntate, in Ve-
stram fidem & clientelam recipiatis,
easque per Vos a malevolorum ho-
minum iniquitate atque ineptorum
censorum injuria quam maxime de-
fensas & honestas velitis. Quam
veniam si iis dederitis, illarumque
susceperitis patrocinium, de hac fe-
licitate sibi gratulabuntur vehemen-
ter, ac triumphabunt. Siquidem
Vestro

D E D I C A T I O.

Vestro firmissimo praesidio tectae non solum omnem pudorem & metum, quo suspensae tenebantur, deponent, sed nec ullius obrectatoris calumniam extimescent atque ignominiam, ac securae per diversa loca dispersae vagabuntur quacunq̃ue. Et quamvis ab omnibus forsā propter earum deformitatem rejicerentur, optime tamen secum fuisse actum arbitrabuntur, si Vestram sibi conciliaverint existimationem ac gratiam, in eamque se penitus insinuaverint, Quorum sapientiam, moderationem, altitudinem animi, caeterasque virtutes egregias ac innumeras unice admirantur, & magni faciunt. Deum quaesumus atque obtestamur, uti Vos, Viri Excel-

B

cel.

DEDICATIO.

cellentissimi, diutissime felices vi-
vatis & valeatis. D. Gronin-
gae a. d. xii. Kal. Febr.
MDCXCVII.




Jo-

JOANNIS GREVII
ORATIO

DE
PRIMA PARTE PRONUNTIATIONIS,
QUAE EST

DE
VOCIS.

ILLUSTRES AMPLISSIMIQUE DUUMVIRI SCHOLARUM CONSTITUENDARUM CAUSSA, CONSULES AC SENATORES GRAVISSIMI, POTENTISSIMI HUIUS CIVITATIS PROCERES: PROFESSORES CELEBERRIMI: CASTISSIMI VERBI DIVINI PRAECONES: COLLEGAE HONORANDI: VOSQUE RELIQUI OMNIUM ORDINUM, AETATIS AC DIGNITATIS AUDITORES PRAESTANTISSIMI.



SI recte memoria tenuero, memini me novissimo tempore, cum ex hoc ipso loco ad vos verba facerem, in me recepisse, me de Pronuntiandi ratione, vocis illa & corporis moderatione divina, quae ex
B 2 sum-

2 II JOANNIS GREVIOR

summa rerum & verborum dignitate proficiscitur, aliquando publice dicturum, utpote cujus praesentia atque excellentia me ab ineunte aetate adeo cepit, ut nullo unquam studiorum genere delectatus fuerim magis. Quis enim tiliarum chordarumve gratissimus sonus, quis vocis humanae aut avium cantus dulcissimus tanta animos nostros suavitate perfundere potest, quanta haec oratoria dicendi ornamenta incredibili atque ornata numerorum concinnitate, velut Sirenum quodam concentu ac mirifica modulatione facere queunt? Quapropter me vobis in praesentia sisto Aud: ad fidem, qua me nuperrime vobis obstrinxi, praestandam. Mirabuntur forsitan nonnulli, cur prius de Pronuntiatione dico, quam de Eloquentia ipsa, cum haec illam excipit, illiusque tantum ornatus quidam est, & legitima quasi accessio. Non refragor illorum opinioni. Verum quoniam optimorum quorumvis dicendi magistrorum auctoritate Pronuntiatio sibi in Eloquentia & primum & secundum & tertium locum merito vindicat, impetum potius cepimus hanc primo laudibus illustrare, deque ea inverso ordine agere *ὑστερον πρότερον Ομηρικῶς*; postea aliquando, si vixerimus & valuerimus, nobisque

O R A T I O. 3

que per occupationes nostras molestissimas licuerit, celebraturi Eloquentiam, eorumque, qui forsan nostram de illa sententiam deposcunt, desiderio satisfacturi. Certe nisi ad Eloquentiam vocis, vultus, manuum & totius corporis apta conformatio accesserit atque jucunda varietas, jejuna, effoeta, mortua erit oratio, sine anima, sine spiritu. Quanquam enim M. Tullij orationes hodie summa cum admiratione legantur ab omnibus, quis tamen iisdem aequè movetur ac illi, qui eas audierunt conspexeruntque? In Cicerone praecipua pars Ciceronis abest, quando ejus opera leguntur potius, quam audiuntur. Rem arduam plane ac difficilem, cui humeri mei ferendae vix pares sunt, me suscepisse intelligo. Licet autem illam propterea, ut volo & debeo, sustinere nequeam, feram tamen ut potero, ac mea servabo promissa, praesertim si vos Aud. onus nostrum gravissimum studio vestro ac benevolentia aliqua ex parte allevare, verba mea magna animi attentione, & me ipsum vestro favore ac benignitate prosequi haud dedignabimini. Quod ut pro vestra singulari comitate faciatis, perofficiose & peramanter vos oro, obsecro, atque peto.

B 3.

Ut

Ut igitur hinc nostra sese primum efferat oratio: Pronuntiationem vocamus & vocis & vultus & gestuum moderationem summa cum festiuitate ac pari venustate conjunctam. Ea ab iis, qui dicendi praecepta tradunt, in duas partes inducitur, in Vocem scilicet, quae proprie Pronuntiatio, & Corporis Motum, qui Actio appellatur. Harum altera aures hominum ferit, oculos altera, per quos duos sensus omnis cognitio, doctrina omnis, omnesque animorum commotiones a nobis percipiuntur; estque quaedam ceu corporis eloquentia. Utramque partem una oratione complecti, ac de utraque uno eodemque tempore dicere, nec vestra patientia, nec spatium temporis exiguum, quod nobis circumscriptum est, nec meae patiuntur vires. tantus enim & tam immensus rerum & verborum campus aperitur, qui per multas horas transiri non possit. Quam ob rem ut has incommoditates leniamus, persequemur Rhetorum vestigia, & quemadmodum illi rem omnem in duo membra distribuunt, sic nos eandem in binas conjiciemus orationes, dicturi quidem hac tempestate de Pronuntiatione seu Voce, alteram oratiunculam de Actione seu Gestibus in aliud & opportunius tempus reservaturi.

O R A T I O. 5

turi. Quod si tamen subinde quaedam praecepta occurrerint, quae utrique parti sunt communia, illa iis in locis interponemus, ad quae ista pertinere arbitramur.

Comparatur autem Pronuntiatio tribus illis viis ac rationibus, per quas ad omnem & qualemcunque scientiam pervenitur, Natura, Disciplina, atque continua Exercitatione: Natura enim sine Disciplina aspera est & caeca, Disciplina sine Natura manca & debilis, Exercitatio sine utraque imperfecta & mutilata. Naturalia autem dona in primis in Oratore requirimus. quippe si eum aut frontis mollities, aut pudor ingenitus & subrusticus ita deterreat a dicendo, ut non modo concionem suam non alloqui, sed ne adspicere quidem audeat, aut obticeat deturbatus verecundia: aut si vox ejus tenuis fuerit, muliebri; gracilis, ut non nisi de proximo exaudiatur, aut quasi extra modum absona, absurda, incondita: aut nimis tarda, ut syllabam syllabae connectere modico intervallo nequeat, aut nimis cita, ut litteram syllabamve praetereat in sermone, vel quasdam absorbeat, aut si certam quamdam litteram efferre non possit, aut blaesus linguave haesitans fuerit, aut spiritus sic
angu-

angusti, ut justum ac completum verborum ambitum & complexionem sine intermissione eloqui non valeat, aut aliis & similibus vitiis laboret naturalibus, frustra petet eloquentiae principatum: utpote quorum pleraque nulla vi, nullaque industria corrigi possunt, sed a sola natura potissimum debent expectari; & quamvis furca expellantur usque tamen recurrent.

Ut Naturae plurimum tribuimus, sic & arti & usui suum relinquimus locum. Artificium enim, quod natura rude ac impolitum protulerat, omni ex parte expolire solet, & ad summam perfectionem absolutionemque perducere, efficitque ut non casu, sed certo consilio recte agamus. Exercitatio vero frequens omnium doctorum monita facile vincit, acuit linguam, atque optimus est magister, sine qua nemo quicquam magna laude dignum in ulla arte potest consequi. Perinde ut ager, licet fertilissimus, sine cura & cultura humana non fructus, sed dumos, vepres, spinas producet. sic itaque ars nullo modo negligenda est, ne instar miserae & jejunae plebeculae aut rusticorum more inculte, horride, inepte dicamus: nec contra in eadem arte nimii esse debemus, neque omnia effingere imitando,

O R A T I O. 7

tando, veluti si quis immoderatum risum describeret, non cachinnum tollere, aut si cantus faceret mentionem, non cantare eum continuo oportet. omnis enim affectatio, ac praesertim ea, quae modum excedit usque ad ineptias & derisum, artis decori atque gravitati est contraria, nihilque existit, quod magis offendit Audientium aures animosque.

Naturae muneribus quoque annumeramus memoriam. Ea enim quae de illa augenda & firmanda operose vulgo praecipuntur, parum conducunt, quin pleraque obsunt potius discentibus, quam profunt, aut nullius sunt momenti. Memoriam autem in Oratore summe necessariam esse ducimus, quippe cui ea, quae secum commentatus est, omnino memoriter sunt enuntian- da. Quod si orationem ex scripto recitaverit, omnis de Pronuntiatione & Gestibus lepos, omnis elegancia, omnis gratia detrahetur. Taceo quod ad persuadendum, qui unicus est Dicentis finis, lectio nullas vires habet, interrumpit, frangit, labefactat impetum contentionemque dicendi acerrimam, vultum atque oculos ab Auditoribus, quos huc atque illuc decet intueri, aversos retrahit; libertatem variandae Vo-

C

cis

§ JOANNIS GREVII

cis Corporisque Motionis injectis quasi catenis eripit omnem, aliisque difficultatibus & incommodis, quae innumerabilia sunt, est affecta. Quid quaeritis? Memoria est rerum omnium thesaurus, quae nisi custos inventis excogitatisque rebus & verbis admoveatur, animadvertemus cuncta, etiamsi excellentia fuerint, in oratione peritura. Qua de re cuicumque hoc beneficium Natura negavit, nunquam pleni ac perfecti oratoris numeros poterit implere.

His Naturae dotibus si instructus atque ornatus fuerit Orator, Vocem pro rerum, & verborum, & sententiarum dissimilitudine inflectere, variare, ac Protei instar in omnes sese formas convertere in primis cognoscat necesse est. Neque enim decet quemquam Milonianae perorationem, aut Priami caedem, aut Niobes lacrymas eodem modo declamare. Nunc igitur Vocem attollat Orator, nunc eam deprimat, nunc lentior incedat, nunc incitator: modo lenis sit atque humilis, modo floridus atque moderatus: modo cum simplicitate quadam hilaris atque jucundus, modo cum quodam decore tristis atque temperatus, modo quadam cum majestate grandis atque magnificus. Nihil enim oratione
lan-

languenti, quae numeris caret, quaeque uno & eodem decurrit tenore, insuavius est, nihil insulsius; nihil isto vitio, quod vulgo Monotoniae appellatione circumfertur, foedius, nihil turpius, nihil a quo aures hominum, tanquam a re fastidiosissima, vehementius abhorrent. Hoc & Dicentem enecat, & ipsos exanimat Auditores, atque idcirco inutile plane est ad persuadendum. quomodo enim alicujus mentem movebit, quod audire averfatur? Jam si idem semper fervetur sonus, rei naturae est adversum. Vox hominibus tributa est ad rerum non tantum signa, sed etiam imagines exhibendas: rerum autem universitas in infinita versatur vicissitudine & commutatione, quomodo res tam varias tamque diversas exprimere, quomodo iram, mansuetudinem, dolorem, hilaritatem, aliasque animorum commotiones excitare poterit, quae par ubique Vox est, & sui similis? Ut standi, eundi, sedendi, jacendi vices sunt, nihilque horum perpeti diu possumus, ita in Pronuntiatione amamus gratam Vocis in justa aequabilitate varietatem; nec dici potest, quantam conciliet gratiam orationi illa ars variandi, quantumque Auditores oblectet. Voces, ut nervi in fidibus,

intentae esse debent, atque ita sonare, & ad quemvis respondere tactum, ut a motu animi, tanquam a digitis, fuerunt pulsae. Ridetur citharoedus, qui semper chorda eadem oberat.

Non autem varia tantum Vox fit, sed & clara, alta, distincta, tarda, verbis aequata, ac suavis: Clara, quae omni faucium quasi fuligine absterisa canoram & ornatam Vocem numerose fundat: Alta, quae ad omnium Audientium aures perveniat: Distincta suis intervallis, ubicunque sint rerum divisiones, sic & Vox reficitur respiratione, & arteriae defessae reticendo conquiescunt: Tarda, lente enim gradatim ac pedetentim, magnaue cum auctoritate ac mora quadam pronuntiandum est, ut sequi Dicentem possint Auditores, & spatium iis relinquatur ad intelligenda animoque quodammodo volvenda ea, quae proferuntur: Aequata verbis, ne initia finesve syllabarum vel absorpti intereant, vel misceantur confusi, vel syllaba individua in duas dirimatur distrahaturque, vel verbo addatur nova & supervacanea. quod cunctas nugas & ineptias aniles longe multumque superat: Suavioris denique Vocis tantae sunt illecebrae, ut
ejus

ejus blanditiis ex solo sonitu capiantur ac deli-
niantur etiam ii, qui sensum non percipiunt.
Hinc vitanda est Vox lamentosa & inflexa ad so-
num flebilem: Vitanda ridicula cantio & fractae
Vocis tremor, quippe quod hominum rudium
est & plebejorum: Vitanda cita Vox & magna
verborum profluens volubilitate, qua in re plu-
rimi eloquentiam positam esse praepostere exi-
stimant: Vitanda incondita & agrestis vocifera-
tio. ut enim ad Vocem obtinendam nihil est uti-
lius, quam mutatio crebra, ita nihil pernicio-
sius, quam effusa sine intermissione contentio &
exclamatio.

Verba simplicia si consideremus & conjuncta:
Haec articulatim ac sedato spiritu efferenda sunt.
quod si vis aut venustas iis insit tractu utemur
paulo longiori. Illa si numeris gaudeant cum
cantu obscuriore quodam, & suavi Vocis infle-
xione debent enuntiari. Contenta Voce atroci-
ter dicemus, summissa leniter, inclinata gravi-
ter, inflexa miserabiliter. Res grandes cum di-
gnitate quadam eloquemur. Exclamabimus al-
tiori Voce, plena, magnifica & veluti trium-
phanti, id quod ipsum rei nomen fatis clare
ostendit. Interrogabimus certa, & diversis rebus

convenienti Vocis conversione, sic ut ex ipso sonitu tam in principio, quam in fine, interrogationis statim possit animadverti, eam a nobis fuisse institutam. Admiratio, si in aestimatione versetur, peracutam & suspensam, si vero in rerum despicientia, exilem contemptioremque Vocem requirit. Hortatio ac Dehortatio Vocem exigit excitatam atque ita compositam, ut oriri videatur ex fiducia causae, quam commendamus, ex amore ejus, quem hortamur, ac tandem ex metu quodam, ne, si nobis mos non geratur, ingens ei impendeat periculum. Consolatio ex benevolentia & aequa gaudii tristitiaeque temperatione erit conflata. praecipua enim in consolationibus medicina est, docere aut nullum malum esse, aut admodum parvum. Terror non nisi Voce furiali terribilique incutietur, qua omnium malorum imagines, quibus perturbamur, proponuntur. Suadebimus ac pollicemur Voce gravitatis plenissima; leni blandiemur ac precabimur; laudabimus magna atque splendida. In verecundia Vox erit coarctata, in amore plena, ardens, aequabilis; in ira aspera acerba, crebroque interrupta: neque enim potest longus esse spiritus, cum immoderate emittitur;

in

in invidia movenda paululum lentior, quia non fere nisi ad hanc inferiores adducimur; laetis in rebus fusa atque tracta & cum lenitate quadam ac hilaritate simili decurrens; tristitia angustam reddet, pressam, singultibus quoque ac suspiriis frequentibus permistam; cupiditas ingenti Voce feretur & concitata & ex imis ducta pulmonibus: Denique omnia ita temperanda sunt, ut cum singulis & quibuscunque animi motibus lepore quodam prorsus conveniant atque consentiant, qui variam agitationem & dulcem varietatem sensibus afferunt: neque quicquam est, ex quo facilius aut melius Vox flecti potest ac contorqueri, quam ex commotionibus animorum, quia natura duce rapide eo ferimur. Ars autem naturam debet imitari. Sic qui gaudio completus est, sponte triumphabit Voce, contra ea qui in moerore fordibusque lugubribus jacet, lamentabitur. Hinc toto pectore in id incumbet Orator, ut vere prius ipse commoveatur iis rebus, quibus alios velit commoveri. Quid multis? Vox mentis index est & velut exemplar, cuius totidem mutationes sunt, quot animorum, qui maxime vel excitantur Voce vel sedantur.

Ad

Ad genium quoque Audientium prae caeteris accommodari debet oratio. Aliter apud hujus, aliter apud illius aut aetatis aut ordinis homines; aliter Athenis, aliter Romae, aliter apud Europaeos, aliter apud Asiaticos est dicendum. Et cum in eadem gente magna plerumque est morum differentia, ingens etiam esse in Pronuntiando discrimen oportet, si quis aut in aula loquatur, aut in agro, aut in castris, aut in urbe: quippe aula quidem ornatius quoddam dicendi genus flagitat, ager simplicius, castra fortius, urbs mixtum quoddam ex iis omnibus.

Sed & in singulis orationis partibus Pronuntiationis varietas pro rerum conditione sanequam grata est & vehementer necessaria, adeo ut, quicumque & hoc nequit praestare, nunquam ad decus & laudem oratoriam sit aspiraturus. Prius igitur quam auspicatur verba sua Orator, de industria paulisper veluti meditabundus cunctabitur, atque oculos in terram defixos retinebit, cum quia Auditores haec cura mirum in modum delectat, tum quia ipse interea colligit sese, ac prudenti silentio ad dicendum componit. Deinde inchoabitur Voce summissiori ac quam
maxi-

maxime depressa, ita tamen ut ab omnibus sine ulla molestia possit intelligi, utque illi, qui audiunt, benevoli nobis reddantur & dociles & attentissimi. exordii enim, quod non exauditur, nullus est usus, nisi ut iram concitet atque indignationem Audientium. Qui autem vociferando exordiuntur, hi & ante tempus consumunt Vocem, & virium firmitati ac valetudini officiant, si venae acri clamore antea repleantur, quam leni Voce fuerint permulsae. Jam quid magis illiberale est, quid magis injucundum, quid magis rerum naturae adversatur, quam cum vociferatione incipere? utpote quae omnium rerum orsus voluit a tenuibus exilibusque initiis accrescere, nisi forsan exordia fuerint vehementia & abrupta, in quibus pro variis sententiis, quas comprehendunt, subito est erumpendum, siquidem quae magis calida sunt & incensa, peculiaremque habent modum. attamen horum usus rarius est: nec enim abrupte semper, nec unde libet initium est faciendum. Verecundum quoque sit prooemium oportet. Verecundia enim quasi ornamentum quoddam est non modo orationis, sed ipsius etiam vitae, quae nescio quid Oratori statim in principio pon-

D

de-

deris adjiciat ac festivitatis. Hanc praeterea & loci amplitudo & reverentia, quae adversus Auditores adhibenda est, exigere videtur, ne impudentiae notam subeamus, cum excellentissimos quosque Oratores, qui per diu in foro regnarunt prae metu in initio non potuisse loqui, non nullos pastoritia fistula exceptos fuisse, atque exploros e theatro domum se obvoluto capite & moesto animo contulisse accepimus; sicut Demostheni, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, semel iterumque accidisse constans opinio est.

Ab exordio paulatim crescet oratio verbis omnibus altius atque altius insurgentibus; deinde pressius dicemus; postea exultabimus audacius. Ac narratio quidem contenta erit lucida Voce inter acutum sonum & gravem media, ejusmodi fere, qualis in quotidiano & familiari sermone solet institui. Confirmatio flexibilem hominumque mentibus ac sensibus accommodatam sibi vendicabit. In argumentatione ac contentione erit severior, erectior totis viribus, ac veluti omnibus nervis intendetur, nisi argumenta tam parva ac levia fuerint, ut rideamus ea, atque cum ironia loquamur. Perorationem libera

ra

ra Voce ac plerumque excitatissima concludemus, agemusque de adversariis nostris, quasi victoriam essemus consecuti, triumphum gloriosissimum, ut hac ratione demonstret Orator, se niti ac magnopere confidere causae, quam tractavit, bonitate, ingentemque spem & fiduciam in Audientium aequitate & prudentia repositam habere.

Audivistis. Aud: pauca de Voce. Plurima enim, dum brevitati studuimus, coacti sumus praeterire, ne in immensam longitudinem produceretur oratio. Tanta ac tam infinita, ut credi vix possit, in eo, qui confecti & absoluti Oratoris nomen affectat, desiderantur! Quamvis autem opiner, nisi me omnia fallunt auguria, ex hisce, quae diximus, solis luce clarius posse constare, resne tenuis sit & abjecta putanda Pronuntiatio, digna quae contemnatur, negligaturque, ac tenebris occulteretur plusquam Cimmeriis, ut nunc plerumque perperam ex foeda rei praeclarae ignorantia fieri solet, an perutilis potius, salutaris, atque operosa, tamen, ut ac si non liqueret, ampliabimus, donec de Actione seu Corporis Motu quoque breviter disputaverimus, ac tum (Deo bene juvante) Vobis tan-

D 2

quam

quam aequis rerum aestimatoribus totam causam relinquemus dijudicandam. Antea autem, quam huic nostro sermoni finem imponamus, illud silentio praetermittere non possumus: Quum tot Imperatores praeclaros, tot egregios rerum-publicarum Gubernatores, tot nobiles Philosophos, tot Grammaticos illustres, tot excellentes Historicos, tot ingeniosos Poëtas identidem viderit orbis terrarum, cumque innumeri in omnibus aliis artibus viri praestantissimi & admirabiles semper extiterint; quae quaeso causa est, quod ab omni seculorum, temporum, civitatum memoria vix singulis aetatibus unum alterumve bonum ac probabilem Oratorem terra protulerit, nisi sola rei magnitudo ac difficultas, quae tot ac tantas virtutes, tantas ac tam varias disciplinas in uno eodemque homine requirit, quibus singulis aegre quisquam sufficeret? Sane Aristoteles, singulari vir ingenio ac paene divino, hanc oratoriam artem: tantas vires habere docuit exemplo histrionum, ut quum illi agerent, poëmata longe gratiora judicarentur, quam si ea poëtae ipsi pronuntiarent. Aeschines, qui cum Demosthene gravissimas gessit inimicitias, quum propter nobilissimam accusa-

tio-

O R A T I O. 19

tionem Ctesiphontis, quem Demosthenes defenderat, ab Atheniensibus in exilium esset depulsus, Rhodumque secessisset, rogatus ab istius civitatis incolis recitasse fertur orationem suam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem habuerat. Hanc quum legisset summo cum applausu, petierunt ab eo postridie, ut illam quoque perlegeret, quam e contrario Demosthenes pro Ctesiphonte dixerat. Lecta ea suavissima Voce admirantibus cunctis multo magis, inquit, admiraremini, si ipsum audivissetis. Quo responso dilucide satis atque aperte declaravit, quanta rerum momenta sint in actione & ardore dicendi, qui orationem eandem aliam & exiliorem aestimaret actore commutato.

D I X I.



D 3

J O.

O R A T I O

tionem Celsiphonia, quem Demosthenes de-
fendens, ab Atheniensibus in exilium esse de-
pulsis, Aristophanes recitavit, rogatus ab illi-
us civibus in ecclesia vestris contra Aristophanem la-
am, quae in Celsiphoniam contra Demo-
sthenem habebatur. Hanc quam legisset sunt
ita cum applausu, proferunt, ut copiosius, ut
illam quoque perlegeret, quam e contrario De-
mosthenes pro Celsiphonia dixit. Ecce et
luculentissimam vocem admirandis eundem multo ma-
gis, inquit, admodum. Ille ipse admirabilis
quo respondit dilucide istis apud apertis de-
laris, quos ista movens non in ecclesia
& ardore dicendi, qui movens eandem illi-
am & Celsiphoniam adhaerere videtur.

D I X I



D 3

JOANNIS GREVII

ORATIO

DE
ALTERA PARTE PRONUNTIATIONIS;
QUAE EST

DE
CORPORIS MOTU.

ILLUSTRES ATQUE AMPLISSIMI SCHOLARUM
CURATORES: PROFESSORES CLARISSIMI:
REVERENDI AC DOCTISSIMI VERBI DIVINI
PRAECONES: COLLEGAE ORNATISSIMI: VOS
QUE RELIQUI OMNIUM ORDINUM, GRA-
DUUM ET AETATUM AUDITORES HONO-
RATISSIMI.



Uum primum in animo
mecum reputarem de publicando
quandoque Pronuntiationis prae-
conio, quumque viderem, ipsam
quidem rem esse sanequam uti-
lem ac dignam auribus eruditis, sed simul eti-
am

am ad explicandum ornandumque tam uberem, tamque copiosam, ut utraque ejus membra, in quae a dicendi doctoribus vulgo & recte disper- titur, pro dignitate eorum ac necessitate, in tan- tis temporis angustiis, quibus premimur cum maxime, una & perpetua oratione absolvi non possent, praesertim a me, qui nec usu exercita- tioneque, nec ingenio doctrinaque valeo, at- que adeo cogerer, binas de iis componere ora- tiunculas: non constitueram, cum oneris subla- ti magnitudinem cum viribus meis sollicite com- parare coepissem, illas duobus continuis die- bus solennibus, qui mihi quotannis ad dicen- dum conceduntur, habere, sed alteram in ali- ud & commodius rejicere tempus, quo mens mihi ab omnibus curis & molestiis vacua esset, cum quod posterior pars Pronuntiationis majo- ribus difficultatibus & laboribus iuvoluta ac prae- stantior sit priori, utpote quae vim maximam obtinet, estque ad omne momentum persuasio- nis efficacissima; tum quod illud tempus, quod inter aestatem & brumam intercedit, nobis multo sit brevius, quam id, quod ab hyeme labitur ad solstitium, ac propterea publica nostra negotia hac tempestate tam molesta sint atque
ope-

operosa, ut vix aliis rebus ac studiis gravioribus vacare possimus. Huc accedit, quod non ita pridem in morbum incidi periculosum, quo per aliquot hebdomades satis vehementer fui conflictatus, qui & ipse animum meum, quoniam & vires & corpus amiseram, a rebus gerendis abstraxit, donec me ope divina refecissem. At vero, cum priorem meam de modo Pronuntiandi oratiunculam plerisque non omnino ingratham fuisse intellexerim, nonnulli etiam, qui harum rerum delectatione ducuntur, a me petierint, ut primo quoque tempore promissa mea exolverem, ad eam adjungerem hanc postremam, atque illius rei expectationem, quam concitaveram, explerem omnem: Cumque idem velle non dubiis significationibus declaraverint Illustrissimi ac Prudentissimi Viri, quibus res nostrae curae cordique sunt; non potui, quin studiis ac desideriis eorum satis quam primum facerem, utpote quorum auctoritas apud me semper valet plurimum, quorumque nutus & arbitria, tanquam aequas leges, observo. Permutavi igitur discussa omni cunctatione consilium meum, & opus magnum ac difficile alienissimo atque iniquissimo tempo-

E

re

re aggressus fui, sola obsequendi cupiditate abreptus. Nihil enim mihi antiquius est, nihil laetius, nihil optatius, quam his (si fieri possit) & obtemperare & placere, quorum imperio sum subjectus. Utinam in me nunc esset tanta vis dicendi, tantaque eruditionis copia, ut & vestrae expectationi, & agendarum rerum claritati mea responderet facultas! A Vobis, Auditores, summo pere contendo, ut eandem mihi praebeat attentionem, quam mihi oratione prima mira facilitate ac humanitate praestitistis.

Ut in Voce, sic & in Actione plurima Oratori expectanda sunt a Natura: neque antea artibus ullis locus relinquitur, quam si corpus praeditum sit apta membrorum compositione, ejusque partes inter se cum lepore quodam naturaliter consentiant. Etenim cum Oratorum sit stare, quemadmodum Judicum sedere, si quis aliquo corporis vitio insignis, veluti si obstipocapite, si paetus aut luscus, si bronchus, si gibber, si varus aut valgus, aut claudus fuerit, statum venustum ac decorum non poterit formare, sine quo tamen reliqui gestus, quamvis elegantissimi, aut nulli erunt, aut pertenues. Tantum momentum positum est in eximio statu Oratoris

ris

ris! quippe cuius conspectu nihil pulchrius est, nihil emendatius, nihil quod vehementius commovet Audientium oculos, eosque in attentionem rapit. Quo autem melior ac concinnior sit status, necesse est, ut corpori Dicentis, Naturae beneficiis ac muneribus dotato, adhibeatur exterior cura cultusque, ac vestibus exornetur ad conditionem ejus & locum & tempus accommodatis, ne horridus appareat, squalidus, ac tetrae belluae potius, quam homini similis, omnibusque derisui sit, neve ejus aspectum avertentur Auditores; Sed ut nitidus prodeat, mundus, elegans, utque incertum plane sit, utrum cupidius ad eum audiendum, an ad spectandum concurratur. Virtus enim in pulchro corpore venit gratior. Regum & Principum majestatem non magis sublime illud fortunae fastigium, in quo sunt constituti, regni opes, & regionum amplitudo, quam corporis dignitas, purpura, sceptrum, diadema, ceteraque insignia regia cumulant sanctitate, ut a tanto populo subjectorum velut Dii terrestres adorentur. In corporis autem cura non tam muliebris venustas infideat, quam dignitas virilis, ac modus omnino servetur, qui hujus rei aequae est, ac

aliarum omnium: nam sicut nimia cura suspicionem adfert mollitiei, ita turpis & inhumana negligentia olet rusticitatem, atque a civili consuetudine abhorret. In primis caveatur, ne cum cultu superbia sit conjuncta, utpote quod vitium execrandum est, detestabile, ac Deo hominibusque invisum. Neque vero est, cur quisquam putet, munditiam hanc & elegantiam, maxime si ab omni fastu arrogantiaque libera fuerit, indignam esse Oratori aut illicitam; quippe quae neque divinis legibus vetita est, neque humanis. Nisi me temporis brevitatis, praesertim ad alia magis necessaria properantem, longum facere prohiberet, atque disputatio illa a nostro instituto esset aliena, possem hanc sententiam infinitis exemplis & argumentis confirmare, non petitis tantum ex profanis, sed ex sacris etiam historiis: verum licet spatiis excludar iniquis, non possum tamen, cum & decus & forma Oratorem praecipue deceat, eique splendorem ac venerationem quamdam conciliet, quin unum alterumve, quo cuncti scrupuli evellantur, depromam, & proferam in medium. Demosthenem ferunt, quoties in concionem adscenderet, sincero vestitu, corporis cultu accurato,

to,

to, venusto, atque exquisito fuisse. Ciceronem toga usum fuisse cretata, capillos habuisse comptos & unguentis delibutos. Hortensium in his rebus plus studii & operae posuisse, quam in ipsa eloquentia affectanda. qui omnes in arte dicendi praestantissimorum gloriam non aequarunt tantum, sed longe excederunt. Sic Divus Paulus vult *ὁ θεὸς σκοποῦν κόσμιον εἶναι*. Pontificalia vestimenta Aaronis & filiorum ejus, nonne tam pretiosa, tam splendida, tam artificiosa fuerunt, ut nec materia operi, nec opus cesserit materiae, nihilque magnificentiae ad ea, nihil nitoris addi potuerit? quae tamen Deus ipse tali modo diligentissime jussit confici. Quid dicam de veste Servatoris nostri? etiamsi illius species & forma accurate a sacris scriptoribus non describatur, tunica saltem ejus tanti fuit pretii, ut in sortem fuerit conjecta. Jam si domos, aras, templa, aliasque res inanimatas & mutas splendidissime ornare liceat, quis hominem, qui ratione pollet ac scientia, qui omnium rerum & animantium tenet principatum, qui proxime ad Deum Immortalem accedit, omnibus privabit ornamentis? Sed ut eo tandem, unde huc digressi sumus, revertamur.

Status Oratoris erectus erit, & celsus, & ad dignitatem appositus. non tamen immotus, ne tanquam stipes aut truncus stare videatur. Siquidem qui subinde corpus suum, quoniam totam concionem, praesertim si in corona dicatur, uno eodemque jactu oculorum intueri non potest; modice & decenter modo in dextrum latus, modo in sinistrum flectere debet. Quo casu diligenter attendendum est, ne totum corpus circumvertat, neque ita assidue haereat in una parte, ut adversae dorsum objiciatur, id quod morum elegantiae vehementer repugnat. Similiter, ne sinuosa mobilitate agitetur corpus instar maris, vi ventorum turbati, aut fractum sit mollibus delicatisque flexibus: quo nihil turpius est, nihil dementius. Crebro autem subsultare, subito exilire, gloriose in orbem se torquere, in utramque vacillare partem, ac si e lintre loqueretur, corpus vehementer projicere, motuque jactare continuo, & quae sunt plura ejusmodi, ducuntur in loco numeroque vitiorum, quae ne scenicis quidem permittuntur. Non solum totius corporis, sed omnium quoque membrorum est habenda ratio, utpote quae ad diversum & multiplicem usum a natura do-

donata sunt, ac proinde propriis debent fungi officiis. Hoc ut apte commodeque fiat, quem ordinem in collocandis membris humanis conservavit natura, eundem & nos tenebimus, singulisque a capite ad calcem sua assignabimus munera, quae illis hac in re sustinenda sunt. Caput itaque principem obtinebit locum. Hujus situs erit ad exemplum totius corporis non rigidus aut immobilis, quippe quo immanis ac intoleranda quaedam mentis barbaria indicatur; sed rectus, & secundum naturam excelsus. Leviter autem inflectetur in latus utrumque, & pro rerum tractandarum necessitate aut attolletur, aut demittetur. In latera si movebitur, eodem vertetur, quo brachiorum & manuum gestus, nisi quaedam damnare, improbare, aspernari aut detestari voluerimus; tum enim caput a manuum motu erit aversum. Attollere licebit, si de Deo rebusque superis sermo instituetur, aut si ob res laetas plenasque spei certissimae gaudio triumphabimus. Demittere concessum erit, si aut de terra dicemus, aut mari, aut inferis rebus aut si moerorem & luctum, aut modestiam & verecundiam ostendemus. Indignum igitur erit Oratori, caput pronum deprimere in pe-

ctus,

Orator, quippe quod humilis animi & abjecti; seu in tergum reflectere supinum, quod insolentiae & arrogantiae; seu alterutrum in humerum inclinare, quod desidia & languoris indicium est.

Ut caput corporis, sic vultus capitis pars est praecipua, utpote quem omnes contuentur, quique mentis quaedam est expressa imago, adeo ut saepe animus nequeat occultari, quamvis quis maxime cupiat, quin in ipso manifeste conspiciatur. Hinc vultus tot significationes commutationesque conficere debet, quot sunt animi motus. Scite enim & belle compositus mirificam affert Oratori cum dignitatem, tum venustatem, & in eo omnia sunt. Itaque studiose curandum est, ne quid insulsi aut vultuosi compareat, sed ut verecunda ac naturalis adsit gravitas, utque tanquam mollissima cera ad arbitrium nostrum formetur ac fingatur aut hilaris, si de rebus laetis & jucundis; aut moestus, si de luctuosis & tristibus; aut severus, si de seriis & gravibus; aut remissus, si de suavibus & amoenis; aut iratus, si de acerbis & stomachosis loquamur; aut blandus, si quid petamus ac rogemus; aut si quo alio modo affectus videri voluerit Orator.

Vul-

Vultus partes, quas nos contemplari ac considerare debemus, sunt frons, supercilia, oculi, nares, buccae, os, & labra: reliquae, cum nec moveri possint, nec gestum agere, ad nos non pertinent. Frons quoque animi janua est, ex qua egrediuntur, & veluti in publicum prodeunt omnes commotiones. In hilaritate igitur & benevolentia exporrigemus frontem, contra in tristitia & severitate corrugabimus. Si nulli in animo nostro fuerint motus, tranquillam aperiemus, humanitatisque & auctoritatis plenam. Non vero molli utemur, aut effeminata; neque dura aut ferrea; neque rustica aut instar caprorum semper adducta.

Supercilia, ut oculorum, custodes sunt, sic eosdem & varia figurant forma, & fronti imperant, illorumque beneficio vultus universus vel contrahitur, vel extollitur, vel remittitur. Ea neque continuo erunt motu, neque omni plane carebunt: nam si nimia fuerint mobilitate, levitatis, si nulla, rusticitatis erit documentum. Disparilis autem motus, cum quis apertum habet oculum alterum, alterum clausum, nullam non devincit impudentiam, neque verbis ille ac praeceptis doctorum, sed fustibus ac

F

ver-

verberibus est castigandus. Aequabili itaque motu agitabuntur, at multiplici commutabilique. Siquidem quae frequenter mutari & se accommodare debent ad motiones animorum. quod & ipsum tamen fieri oportet motu quodam naturali: nam quicumque his exiguis corporis partibus omnes commotiones & perturbationes voluerit, ac posse se putaverit exquisitissime imitari & effingere, non modo id, quod desiderabit, non assequetur, sed ad meras delabatur nugas.

In primis vero inter omnes vultus partes eminent oculi, suntque animi indices verissimi. Hi enim testes sunt amoris, testes sunt odii: Hi testes sunt irae, testes sunt clementiae. Horum vel intentione vel remissione, vel conjectu, vel hilaritate omnis mentis commotio declaratur. Quid multa? haud parva turpitudine reliquis adaspergetur gestibus, si haec membra, quae ceu duo lumina in corpore elucent, & tantum in hac re habent efficacitatis, munus suum non recte exequantur. Quare opera danda, ut semper oculos retineamus in potestate nostra, eosque huc & illuc, uti lubebit, torquere possimus ac flectere; utque illi quasi, quem-

quemadmodum animo affecti fuerimus, loquantur. Sic qui Deum veneratur, tollet oculos coelum versus: prae iracundia ardebunt ac micabunt oculi: tanquam atra & opaca nube operti terrorem injicient: luce veluti serena placidos se placatosque exhibebunt: audacia & gaudium acres eos reddet vividosque, verecundia vero ac moelitia demissos: fiducia erectos habebit, majestas motu tardo atque cum gravitate quadam conjuncto sublatos. Quum autem cuncta vis & facultas oculorum in ipso aspectu sit posita, Orationis est, Audientium coetum aspectare, perinde ac si quis privatim cum aliquo sermonem conferat, eum, dum cum illo colloquitur, adspicere debet, ne de rustico ac plebejo pudore arguatur. Neque vero in unum eundemque hominem, aut paucos quosdam, oculos perpetuo conjiciet, ne cum illis solis videatur agere, sed per totam concionem cum suo conspectu libere volitabit & vagabitur passim, ut ad omnes se verba facere pateat. Neque etiam in eundem semper locum defiget lumina, ne stuporem prae se ferant, nisi forsan aut fictum hominem, aut mortuum, aut absentem quasi alloquatur. Sic

nec vastius erunt oculi diducti, ne in fatuitatis;
 nec clausi angustius, ne in odii; nec crebrius ni-
 stantes, ne in pavoris suspicionem cadat. Sed
 & a lascivis, mollibus & obscenis moribus ab-
 stinebit, atque infinita similia declinabit vitia:
 etenim in oculis maxime convenit venustatem
 conspicuam esse, nullam vero deformitatem pra-
 vitatemque.

De reliquis vultus partibus, quae supersunt,
 cum artem ac praecepta fere nulla requirant,
 sufficiet, sin ea, quae in illis dedecent, vitave-
 rimus, atque honestatem earum & decus ser-
 vaverimus naturale. Nares nec movebuntur
 frequentius, nec dilatabuntur, nec digi-
 tis attingentur, purgabunturque, nec spiri-
 tum emittent clarum ac sonorum, nec emun-
 gere eas saepius & praeter necessitatem per-
 mittetur. Buccae nec cerussatae erunt, nec
 fluentes, nec inflatae. Os tam grandi rictu
 pandere, ut dentes prorsus appareant, aut
 ita coangustare, ut orbis referat speciem,
 non sine gravi causa reprehendetur. La-
 brorum motus liber erit & moderatus. Ea
 autem seu porrigere, seu constringere, seu ex-
 plicare prope ad aures, seu in alterutram con-

torquere partem, seu lingua lambere, seu premere dentibus, vehementer indecorum erit. Screare, salivam ejicere, agere in ore spumas, ructare, sternuere, uti plus incommodi habet, quam adjumenti, sic nisi natura urgeat, vetatur, utpote quod a decoro dignitateque longe recedit.

Collo caput sustinetur, ejusque munere caput, quod per se moveri nequit, regitur gubernaturque. Diligentius itaque ei videndum erit, ne committat, ut quid de capitis venustate detrahat, sed ab omni effeminata molitie sit liberum, cunctosque ei tribuat ornatus, qui ad illud condecorandum exiguntur.

Humeri officium debitum reddent, si suum & nativum retinuerint situm, fuerintque & aequi & directi. Deserent vero officium, si vel allevaverint se, vel contraxerint, vel inaequabilem habuerint motum.

Brachia autem, ut & manus, negotiis implicata sunt molestioribus ac magis operosis. Nam cum ipsam fere rerum & verborum abundantiam subsequi debeant, tot habeant motus necesse est & ad dextram, & ad laevam, & sursum,

& deorsum, ut vix oratione possint comprehendi. Has duas partes quoniam natura ita conjunxit, ut separari, atque aliae sine aliis gestus facere nequeant, nec nos eas separabimus, verum de illis manuum appellatione agemus conjunctim. Manus igitur & Dicenti singularem quamdam gratiam atque festivitatem, & rebus clarissimam lucem atque ingentem efficacitatem adferunt. Si quidem reliqua membra opitulantur loquenti, hae quin ipsae loquantur, parum abest. Quis ignorat, mutos & elingues homines manuum signis & gestibus sic posse rem narrare, omniaque mentis exprimere cogitata, ut facile intelligantur? Nonne peregrinos & advenas apud populum, cujus linguae imperiti sunt atque ignari, manibus videmus poscere, polliceri, interrogare, respondere, concedere, negare, supplicare, aut probare? adeo ut manus penes cunctas gentes nationesque, quae variis & diversis linguis utuntur communis omnium sermo possit haberi. In Actione autem manui dextrae primas deferimus, volumusque, ut ea se plerumque sola moveat, ac magnum conficiat opus, praesertim si aut lente, aut placide, aut cum gravitate aliquid sit dicendum. Dextra in communi

muni flexione Motum exordietur a latere sinistro, & eundem in dextro finiet: aliquando tamen, si res flagitare videtur, a dextro progredietur in sinistrum, quin & ad illud latus primo redire debet, quae est ab eo rursus profectura. Versus sinistrum si se feret dextra, raro mediam corporis partem praeteribit. Ut brachii sic & manus projectio erit in vehementissimis contentionibus, contractio vero in remissis. Quod si multo labore dextra quasi defatigata requiem quaesierit ad amissas vires recuperandas, eam tanquam peregrinam errantemque hospitem excipiet sinistra. idque fiet absque manuum percussione ac sonitu clariori: quippe quod injucundum est, & a pullatorum turba libentius auditur, quam a gravibus & sapientibus viris. Sinistrae soli omni motu interdicitur, nisi forsan aut in sinistrae mentionem inciderimus, aut locum sinistrum demonstrare, aut in illum aliquid a nobis rejicere & aspernari voluerimus. Ambabus manibus aliquando, sed raro, simul utemur, veluti si supplices precamur Deum, Ejusque subsidium invocamus: si infinitam rerum cum immensitatem, tum numerum aut multitudinem describimus: si quid admiramur:

si

si exclamamus: si ardentius cohortamur, aut magnopere obsecramus Auditores: si acervos constructos & coacervatos, eosque iterum novis cumulis adauctos commemoramus: si contrarium opponimus contrario: si quid agimus, quod ad utrumque latus spectat, his & similibus casibus locus erit manibus junctis; ita tamen, ut dextra semper principatum obtineat, sinistra vero sese ad dextram accommodet, eique servire tantum & adjuvare videatur. Neque longe lateque se pendent manus, sed modicum intervallum inter eas erit interjectum, nisi ratio peculiaris aliud jusserit. Quod spatium, ne aut nimis magnum fuerit, aut nimis parvum, revocabitur fere ad corporis latitudinem. Siquidem utramque manum quam latissime extendere, easque instar alarum sic agitare perpetuo, ac si quis e suggestu, tanquam e vinculis, evolare vellet, oculis animisque hominum est absurdum. Manus humerorum altitudinem non excedent, nisi supra denotemus atque coelestia: ultra caput vero nunquam ascendent, neve descendent infra ventrem medium. In initio dicendi manus conquiescent. Prooemium enim uti vestibulum quasi & aditus est ad orationem,
ita

ita praeparare Dicentem ad Gestus Motusque debet, non vero ullos Motus habere. Post exordium Gestus agere incipient. Neque ista progressio a quiete ad Motum repentina ac vehemens erit, sed lenta, tarda, & velut omni duritie ablata mollis primum atque tenera, dein paulatim augebitur amplificabiturque, ac per totam orationem adhibebitur ad quascunque animorum motiones. Sic in rebus parvis, tristibus, mitibus breves lenesque erunt manus, in magnis, laetis, atrocibus extensiores agitationesque. Docebimus aut juncto ad pollicem indice, digitisque reliquis sparsis, aut compressis omnibus digitis, pollice ab iis pertenui discrimine secreto, manu prona planaue. Clausa manu, soloque salutari digito extento aliquid indicabimus. Rerum contemptum coarguemus, si manum abjiciamus in latus. De se si quis loquatur manus applicabitur ad pectus; sin alloquatur alium, ad eum convertetur. Sublata inflexaque manu ad nos vocabimus aliquem; reflexa eundem a nobis removebimus. Resque alias aliis & sibi convenientibus agemus modis ex usu atque instinctu naturali.

De digitis accuratius praecipere operae pre-

G

tium

tium non erit. quippe si quis omnes eorum argutias velit persequi, irrisione potius, quam laude dignus est. Similiter pectus, ventrem, aut femur percutere, vel supplodere pedes, in scena magis conspicitur, quam pro rostris.

Pedes autem etiamsi, quo nunc utimur suggesto, in oculos non incurrunt, quod media corporis pars tegitur, tamen cum totum corpus illis innititur, ejusque Motus inde dependet universus, de iis illud est sciendum. Collocabuntur apte fixis firmatisque poplitibus, ne absque nervis & articulis quasi dissoluti fluctuemus huc & illuc, neve corruamus vel proni, vel obliqui, vel supini; sed ut grato ac decenti flexu se suo jure ac libere corpus contorquere possit. Coxendicibus cruribusque rectis nimirum recta linea corpus inhaerebit, at plantae erunt paululum in obliquam partem deflexae. Si rerum necessitas postulaverit, alteruter pes modo porrigetur aliquantulum, modo retrahetur eo, quo sese corpus velit obvertere. Generatim denique observandum est, ut Motus varientur. nihil enim ad oculos nostros & Actionis jucunditatem vicissitudine & varietate & commutatione est convenientius. Si contra fiat, taedium parient & fasti-

fastidium: Item ut Motus insequantur Vocis flexiones, prout flagitabunt illud commotiones animorum, utpote ad quas maxima pars orationis est admovenda. Neque tamen hic quaelibet verba exprimenda sunt histrionum more, verum universa res & sententia, non demonstratione, sed significatione declaranda est laterum inflexione varia, forti, ac virili. Praestantissima enim ea est Actio, a qua omnis artificii opinio abesse videtur, quaeque est naturae conjunctissima. Sed & se quisque noscat, oportet: nec tantum in Actione communia praecepta, verum etiam constitutionem suam cum animi, tum corporis, in consilium debet adhibere. Alius enim est hilarioris erectiorisque indolis, alius tristioris ac magis severae: sic alius corporis vasti & agrestis est, alius modici & ad agendum expediti. Quibus rebus sine detrimento artis omnino serviendum est, sequendumque potius, quo quilibet rapitur natura duce.

Habetis meum de Pronuntiatione iudicium, quemadmodum in tam exiguo temporis spatio fieri potuit. Vos nunc compello Auditores, qui aequissimi hujus rei arbitri confiditis. Quid vobis videretur? Licet ars nostra ab aliquot jam

seculis miserandum in modum jacuerit in situ
& squalore; an tamen aspernanda est, an exi-
lis, an levis, an nullius ponderis existimanda?
Licet ejus gloria indices magis magisque obsoles-
cat, ut fere sit conclamata, nec nisi nomen e-
jus restet, & inanis tantum species aut umbra;
an tamen meretur, cui obrectent homines ma-
le nati, quam ceu vilem ac nullius fructus,
commodi nullius, sed ad deliniendos solum-
modo vana quadam titillatione hominum ani-
mos oculosque natam traducant maligni & im-
periti ejus osiores? Sane longe alia de recta Pro-
nuntiatione & Actione veterum fuit sententia.
Maxima enim & incredibilis apud illos erat ad-
miratio numeroſe, ornatę, sapienterque Dicen-
tis: summę laudi dabatur ei, qui habebat &
in Voce eximium splendorem, & in Motu mi-
rabilem dignitatem. Hinc tota mente & omni
studio in hanc artem incumbebant. Neque ad
eam addiscendam uno tantum utebantur homi-
ne, sed plurimis, & varii generis. Sic adhi-
bebant Phonascos, Rhetores, Oratores, Co-
micos, Tragicos, & plures alios, qui operam
quamdam ac majestatem ad illam rem poterant
conferre, quique non modo singula vocabula,
sed

sed & unamquamque syllabam & litteram quoque examinabant, ostendebantque quomodo debebant efferri, quomodo ipsa vox intorqueri, remitti, leniri, aut exasperari. In Actione vero & Gestibus formandis eo usque processerunt, ut per mimos & pantomimos totas comoedias & tragœdias solo corporis Motu agere, & quidvis etiam sine ullis verbis exhibere potuerint, utque cuncti spectatores aequè illorum mentem perciperent, ac si eos audirent loquentes. quod mirum profecto est, & nostris hominibus haud credibile videtur. Hinc non immerito Demosthenes atque Cicero tribuerunt & primas, & secundas, & tertias Actioni. Eant nunc nugivendi, clamitent hunc ornatum supervacaneum esse, nihilque orationibus, nihil rebus ipsis commodare: Actio sola per se quanta sit histrionum leve artificium & scena docet. Placeant sibi, qui nitore ac deliciis hisce spretis & repudiatis, nescio qua perversitate ac fatuitate oblectati, sordibus ac fecibus suis malunt rudere, quam loqui. Valeant isti humilis & angustae mentis homunculi, ac sibi persuadeant, se harum rerum scientia posse carere: Tantum abest, ut inflammaturi ac permoturi sint Audientium a-

nimos, somnum vix ista concione tenebunt, quin & non modo non poterunt partes suas, sed ne nomen quidem Oratoris tueri. Actio enim in eloquendo una dominatur, Haec ornamentum est, haec lumen, haec anima, haec vita orationis. Hac instructi ac perpoliti modici tenuesque Oratores mediocritatem in dicendo occultare possunt, ac summos saepe praestantissimosque superare.

D I X I.



IN
O R A T I O N E S

B I N A S
Lectissimas & Castissimas

DE
P R O N U N C I A T I O N E ,

Ex Quibus Altera
DE

V O C E ,

Altera Agit
DE

C O R P O R I S M O T U ,

*Habitas Groningae Praesente Frequentissima & Spectatissima
Omnis Ordinis Corona, Applaudentibus Cunctis,*

A Praestantissimo Doctissimoque Viro

J O A N N E G R E V I O ,

S W O L L A N O ,

J. U. D.

SCHOLARUM GRONINGANARUM PRAEFECTO.

M Ufarum, Charitumque docte Grevi,
Os lactum, Latii decus leporis;
Pulchris auspiciis & eruditis,
Suada melliflua, potente suada,
Et manu docili probate nuper,
Festo fidere cum venusta pubes,
Pubes aemula, praedicanda pubes,
Illa spes Patriae venusta nostrae,

Tuo

Tuo primitias ab ore pendens,
Exceptit vigil, obstupensque legit,
Et quo consilio, quibusque habenis,
Et quibus schola moribus regenda est,
Et primis polienda vita ab annis.
Illas nectareas amacinitates,
Primas illecebras tui laboris,
Orator sequitur gravis, disertus,
Pulcher corpore, corporisque filo;
Quem finxisse mihi videntur omnes
Gratiae, Veneres, Cupidinesque.
Et vox alta placet, placetque tarda,
Vox distincta suis diserta membris,
Vox aequata stylo severiori,
Vox aequata stylo venustiori,
Et cultis numeris, & expeditis.
Et status placet integer decensque,
Gestusque appositi, manusque doctae,
Et frons, & facies, pedesque rectum
Servant officii sui tenorem.
Vox quae Romuleis placere rostris,
Quae fictae poterat placere scenae;
O! quantum placuit venusta nuper
Lectis Patribus, hospitumque quantum
Attentis studiis & expolitis!
Haec praecepta sequi severiora
Discat spes Patriae venusta nostrae,
Atque haec ora sequi manusque discat
Pubes aemula, praedicanda pubes;
Seu subsellia cogitet, tenere
Seu forum meditetur, aut cathedram,
Seu fastigia, curiamque spiret,
Alto sanguine nata, nata claro.

J O H: M E N S I N G A,

Eloquentiae, & Historiarum Professor.

